

CANCEL:
MARTIS B:
1717:



*

Zu Ob

Se

Q. D. B. V.
 DE
LOGICA
HIEROGLYPHICA
 BENEVOLO CONSENSU
 AMPLISSIMÆ FACULTATIS
 PHILOSOPHICÆ
 IN
 ACADEMIA LIPSIENSI
 PUBLICĒ DISPUTABIT
 M. JACOB. WILH. FEUERLINUS,
 NORIMBERGA-FRANCUS,
 HORIS POMERIDIANIS
 CUM
 RESPONDENTE
 FRIDERICO GOTTLIEB KRANTZ,
 SCEUDITZENSI-MISNICO,
 PHIL. ET SS. THEOL. STUD.
 D. IX. Novembr. A. MDCCXII.

LIPSIÆ,
 LITERIS HÆREDUM BRANDENBURGERIANORUM.

LOGICA
HEROGLYPHICA
AMPASSIME FACULTATIS
PHILOSOPHICAE

ACADEMIAE
M. JACOB. WILHELM. FRIEDRICH.
MAGISTRI

CHRISTOPH. GOTTFR. BRANTZ
D. V. N. M. D. C. C. X. I.

F. I. S. T. A. I. I.
H. I. S. T. O. R. I. A. M. P. H. I. L. O. S. O. P. H. I. C. A. M.



V I R O
MAGNIFICO, PRÆNOBILISSIMO, EXCEL-
LENTISSIMO, CONSULTISSIMOQVE

DOMINO,
DN. GOTTFR. GRÆVE,
COMITI PALATINO CÆSAREO, POTENTIS-
SIMI REGIS POLONIARUM ET ELECTORIS SAXONIÆ
CONSILIARIO SPECTATISSIMO, INCLYTI ELECTORALIS
SCABINATUS LIPSIENSIS ASSESSORI GRAVISSIMO, FLORENTISSIMÆ REL-
PUBLICÆ LIPSIENSIS REGENTI CONSULI ET AD D. THOMÆ
LONGE MERITISSIMO ANTISTITI & reliqua.

ut &

V I R O
MAGNIFICO, SUMME REVERENDO ATQVE
EXCELLENTISSIMO

DOMINO
CHRISTIANO FRIDERI-
CO BOERNERO,

SS. THEOL. DOCT. CELEBERRIMO EJUS-
DEMQUE P. P. EXTRAORD., GRÆCÆ AC ROMANÆ LI-
TERATURÆ ORD. COLLEGGI MAJORIS PRINCIPUM COL-
LEGIATO, ET BIBLIOTHECÆ PAULINÆ PRÆFECTO SPECTA-
TISSIMO,

DOMINIS ET EVERGETIS SUIS
FILIALI PRORSUS OBSEQVIO COLEN-
DIS, AMORE EXOSCULANDIS.

X 2

SAL-

**SALVETE PATRONI, PATRES
SALUTANDI!**

**MORE PROBATISSIMI, ORE SVAVISSIMI,
RE PRÆSTANTISSIMI!**

**IGNOSCITE SUBMISSE OFFERENTI LO-
GICAM HIEROGLYPHICAM, QUORUM VIRTUTES ET ME-
RITA ÆTERNUM DURATURO MARMORI INSCULPI
DEBENT, NON POSSUNT, ADUMBRARI
POSSUNT NON DEBENT,**

**HINC ME NON LAUDUM PRÆCONEM, SED ADMI-
RATOREM**

**NON DE VESTRO PATROCINIO
MERITUM, SED DEBITE AM-
BIENTEM,**

**NON TEMERE INCANTANTEM, SED (UT RESPU-
BLICA, ORBIS LITERARIUS ET ECCLESIA
DE VOBIS SERO DOLEAT, VTINAM PRÆ-
FISCINI!) ANIMITUS EXOPTANTEM**

ME IMPIGRE, HABEBITIS.

RESPONDENS

FRIDERICUS GOTTLIEB KRANTZ,



Um haut ita pridem de Variis Modis Logi-
cam tradendi disserere cœpissẽm, primam
illorum Classẽm Ornamentis e Loco simi-
lium detumtis assignavi, quæ voce Symbolo-
rum generalius accepta indicari solent, atque
non tantum Symbola specialius sic dicta h.
e. Pythagorica, sed Hieroglyphica quoque, Emblemata, Sym-
bolâ Heroica, ac Ænigmata sub se comprehendunt. Qua ra-
tione sub Symbolis Pythagoricis abscondi possit Philosophia
rationalis, nupera Dissertatio Jenæ habita declaravit; hac autem
vice Logicam Hieroglyphicam exponere animus est. Varia qui-
dem sunt, quæ a proposito facile me deterrere possent. Primum e-
nim tetrahere potuisset maxima, quæ Hieroglyphicorum expositi-
onem premit, difficultas, quæq; non tantum Athanasio Kirchero
ingens opus, Oedipum Ægyptiacum molienti, atq; Joh. Pierio
Valeriano LVIII. Hieroglyphicorum libros tradenti, sed ipsi quoq;
Laurentio Pignorio non nisi Mensam, quandam Isiacam Romæ re-
pertam brevi scripto explicaturo scrupulos injecit. Neque e-
nim mihi innotuit Heraiscus, quem olim omnia sacerdotum
Ægyptiorum monumenta literasque mysticas uno statim obtu-
tu intellexisse, rerumque simul interpretationem consecuisse fe-
runt. Verum enim vero, quemadmodum difficultas isthæc
Virorum ante nominatorum Clarissimorum molimina satis
vasta infringere non potuit, ita me, licet ingenio atque subsi-
diis multis parasangis inferiorem, deterrere tamen a proposito
nequit. Non enim id laboris mihi sumo, ut omnes Ægypti-
orum

A

orum

orum characteres obelificis inprimis incisos, explicare, & obvelata iisdem Theologica, Physica, Medica, Moralia, Politica dogmata revelare velim; quorsum Kircheri præcipue labores tendebant: neque eo respicit conatus meus, ut quidnam Logices Ægyptii docuerint, sollicitè sim eruturus, quod procul dubio Vir Clarissimus Dn. Corn. Diet. Koch, Professor Logices Helmstadiensis aget in Polyhistore suo logico, cujus initia a. 1710 prodierunt; siquidem Programma a. 1708. præmissum sperare nos jubet, in Polyhistore *Ebræos, Chaldaeos, Arabes, Ægyptios, Indos, Sinenses, Scytas, Græcos, Latinos, Hispanos, Italos, Anglos, Gallos, Germanos, Logicos omnes Veteres ac modernos exentatum iri*. Mei autem instituti ratio non tam Logicam ipsam ejusque particulas sub Hieroglyphicis forte latentes, quam Velamentum hoc & modum per Hieroglyphica Philosophiam tradendi considerat, ut ostendere possim, qua ratione Ars Cogitandi sub imaginibus hisce proposita fuerit, vel moderna inprimis Eclectica Logica iisdem pingi possit, cujus rei difficultatem non insuperabilem esse sentio. Novum suggerit scrupulum Illustris Dn. Thomasi Praxis Logicæ, cujus Cap. II. §. 47. ex infidelitate deducit, quod Ægyptii sapientiam suam sub hieroglyphicis absconderunt, unde inter vitia potius docentium, quam inter laudabiles præsertim Logicam docendi modos Hieroglyphica referenda esse videntur. Sed vero, quamvis Ægyptii Hieroglyphica adhibentes vitio infidelitatis laboraverint, ipsa tamen Hieroglyphica hinc infecta non esse arbitror. Et hæc ipsa Dissertatio ostendet, posse figuratos hosce characteres in docenda Logica hodiernum non inutiliter adhiberi. Remotis ita scrupulis rem ipsam aggrediar, primum de Hieroglyphicis in genere, dein de applicatione eorundem ad Philosophiam Rationalem acturus.

Vocis accuratior scrutatio, cum in præfenti materia ad Vocis Hic-
 distinctiorem rei conceptum conducere possit, non toglyphico-
 negligenda esse videtur. Derivatur vox Hieroglyphi-
 corum a vocibus ἱερός & γλύφει; ἱερός quamvis Poetis magnum,
 præfians, utile quid sæpius denotet, *in soluta tamen Oratione*
accipitur simplicius pro Sacer, Sacrosanctus; uti H. Stephanus
 observavit in Thesaurō Græcæ linguæ. Hinc in præfenti com-
 positione sacrum quoque denotat, consentiente Viro Græca-
 rum literarum peritissimo Guil. Budæo in Commentariis Græ-
 cæ linguæ. Stephanus quidem loco citato ἱερόν in hoc voca-
 bulo mysticum aliquid & arcanum significare putat, sed sine ul-
 lius exempli fundamento, cum potius aliunde quam e voce
 hac constet, sacra hæc sculptilia mystica esse, arcanosque ha-
 bere sensus. Sacra igitur dicebantur figuræ, tum quod a sa-
 ceris hominibus (Sacerdotibus sc. qui ἱερεῖς vocantur) tracta-
 rentur, tum quod rem continerent præcipue sacram, conf. Jac.
 Masenii speculum Imaginum Veritatis occultæ lib. VI. c. 6. §. 1.
 tum etiam quam maxime, quod a Diis ipsis Symbola hæc ori-
 ginem traxisse sibi persuaserant Ægyptii, uti observavit Tho-
 mas Gale in Notis ad Jamblich. de Mysteriis Sect. IV. Cap.
 II. verba δια τῶν ἀπορήτων συμβόλων. Quod vero alteram
 illam vocem, τὸ γλύφειν scilicet concernit, illa sculperet,
 scalperet, cœlare, excavare significat unde γλύφεται ἀδύ-
 νατον, qui præ duritie sculpi nequit, ἀνάγλυφον ποτήριον,
 poculum cui figuræ insculptæ sunt vid. Stephani Thesaurus Græ-
 cæ Linguæ: Hinc quoque γλύφειν ἀντιγόν τι καὶ ὄρε. ὁ δὲ ἐν νόμῳ φα-
 γλυφίαι. vid. Etymologicon Magnum opera Frid. Sylburgii
 Vet. editum e Typographeo Commelini a. 1594. Solebant
 enim figuræ illæ sacrae lapidibus imprimis, h. e. templorum pa-
 rietibus, valvis, obeliscis, Deorum simulacris, sacrisque tabu-
 lis insculpi atque incidi, quod per excavationem quandam ope
 cœli

coeli fiebat; & his Hieroglyphicorum nomen vi vocis proprie tribuitur, quod nihil aliud denotat, quam sculptilia sacra h. e. a Sacerdotibus facta, & res sacras potissimum concernentia,
§. II.

Si vero usum respicias, præter hanc vocis significatio-
Significatus nem. *Etymologia respondentem*, plures aliæ ejusdem acceptiones
varii. occurrent. *Primo* enim non tantum imagines sculptæ, sed pictæ etiam figuræ, quæ præsertim papyraceis involucrorum fasciis simbrisque ab Ægyptiis illinebantur (cujus rei inter alia specimen præbet, involucrum Mumie illius Ægyptiæ, quæ in splendidissima Bibliotheca Senatoria Lipsiensi asservatur, & a M. Gottl. Kettnero in sched. Hist. de Mum. Egypt. uberior, descripta est, figuris & characteribus Ægyptiacis inscriptum) Hieroglyphica significatu quodam *improprio* appellari solent, cum tamen *σ. ζω. ε. λ. ο. ν* esse videatur Picturam dicere Sculpturam. Ratio fortassis hæc subest; videntur primi illi Ægyptiorum characteres sculpti fuisse, atque hinc Hieroglyphicorum nomen obtinuisse, cumque successu temporis eadem figuræ pingentur, ob insignem cum sculptis convenientiam idem nomen retinuisse. An vero eousque sit progrediendum, ut omnem artem sculptoriam vetustiore fuisse quam picturam cum Plinio Hist. Nat. lib. XXXVI. cap. 4. §. affirmemus, adhuc ambigo, vid. quæ Franc. Junius in lib. de Pictura Veterum & subjuncto Catalogo Architectorum, Mechanicorum, Pictorum &c. passim ad hanc materiam profert, & cons. in des Ritter-Plates III. Theil Curieuse Nachricht von Erfindungen und Erfindern der Wissenschaften, Künste &c. *Deinde* magis adhuc improprie ipsæ quoque figuræ, neque sculptæ, neque pictæ, sed verbis tantum descriptæ, imo res quoque, quarum imagines pingi alias solent Hieroglyphica nominantur. Præterea alias duas vocabuli hujus acceptiones indicat Kircherus in Oedip. Egypt. Tom. III. Diatribæ Prælator, Cap. III. Altera, quam *latorem* dicam, quæcunque rerum arcana-

rum.

rum signa sacra comprehendit; Altera, quæ *strictior* dicitur, ad illos tantum characteres refertur, qui & ipsi in *mystica sua structura carum*, quas indicant, rerum proprietates continent, adeoque argutiores multo sunt reliquis Hieroglyphicis, latius sic dictis. Plures adhuc significationes colligi possent e loco Clementis Alex. quem §. V. adducet, sed hæc de voce dixisse sufficiat.

§. III.

Naturam Hieroglyphicorum propius consideraturi, ab Inventoribus eorumdem initium facimus. Hermes Trismegistus, antiquissimus ille Sacerdos, Philosophus & Rex maximus Ægypti, qui tempore Abrahami floruit (prout e Jamblichi de mysteriis Ægyptiorum libro Cap. I. Kircherus probare voluit in Oedip. Ægypt. Tom. III. Diatr. Prælus. Cap. I.) magno consensu primus Hieroglyphicorum Inventor habetur, vid. quæ Kircherus hac de re uberrime decidit in Obelisco Pamphilio lib. II. & quasi Supplementi loco addidit in Oedipo Ægypt. Tom. III. Diatrib. Prælus. Cap. I. Ita quo antiquiores sunt Philosophi, & quo plures sapientiæ Patriarchalis reliquias possederunt, tanto parciore erant in propalandis, magisque studiosi in occultandis sapientiæ suæ monumentis. Sunt quidem, qui originem Hieroglyphicorum ipsis Patriarchis diluio antiquioribus tribuere malunt, putantes, res creatas, quæ in Mundo e scena politissimis imaginibus distincta conspiciuntur, τῶν οὐρανῶν οὐρανοῦ esse, atque hinc primis hominibus exemplum occasionemque dedisse characteres illos sacros invenendi. conf. Joh. Pierii Ep. Nuncup. ad Cosmum Medicum Florent. Ducem Hieroglyphicis præmissa, Jamblichus de Mysteriis Sect. VII. Cap. I. & Jac. Typoti Hierographia a Celeb. Dn. Struvio allegata in Biblioth. Philos. Cap. III. §. V. Sed conciliationem suppeditavit Kircherus in Oed. Æg. I. c. concedens *primarudimenta Hieroglyphicorum ab Adamo, Enoch, Noemo, Chamo adumbratas* absolutionem tamen eo, undem Hermeti vindicans.

§. IV.

Gentes, quæ
Hieroglyphicis usæ
fuerunt.

Obtinuerunt vero mystici isti characteres non tantum apud Ægyptios, sed & apud alias gentes antiquas plurimas. Observavit Clemens Alex. Strom. lib. V. atque Claudius Minos in Præf. ad Alciatum, *Græcos sen Barbaros, quotquot olim eorum quicquam de rebus divinis scripto mandarunt, rerum principia occulta esse voluisse, & rerum Veritatem sub enigmaticis allegoricisque signis, figurate tradidisse.* vid. Masenii specul. Imag. Verit. Occult. lib. VI. cap. VI. §. I. Ita Septentrionalibus gentibus in usu fuisse Hieroglyphica arbitrantur, cum Olaus testetur, ipsis animalium figuras pro literis placuisse, ut de Chaldæis, Indis, atque Sinensibus aliisque nihil jam dicam: quemadmodum enim superstitio Ægyptiorum ritusque sacri, denique licet, per orbem fere universum diffusum fuerunt. vid. Laur. Pignorii Characteres Ægyptii Cap. II. ita mirum non est, characteres quoque sacros ipsorum ab aliis gentibus receptos fuisse. Nec desunt, qui in ipsa S. Scriptura Hieroglyphica reperisse sibi videntur: ita Nic. Causefinus de eloquentia sacra & humana lib. IV. Cap. VI. sentit, locum quendam Origenis adducens: & Pierius in Ep. nuncup. supra citata; *In nova*, inquit, *lege novoque instrumento cum Afferretur noster ait: Aperiam in parabolis os meum, & in enigmate antiqua loquar, quid aliud sibi voluit, quam hieroglyphice sermonem faciam; & allegorice veteris rerum proferam monumenta?* conf. ejusdem Pierii Hieroglyph, lib. XXI. qui inscribitur Columba p. 160. edit. Basil. a. 1567. fol. E contra ratio alii negant, characteres dictarum gentium Hieroglyphicos fuisse. Si vero rem accuratius pensitemus, res tota in Logomachiam definit, e §. II. facile resolvendam: qui enim nomen Hieroglyphicorum in significato latiori, minusque accurately accipiunt, S. literis, Septentrionalibus, Indis, Chinesibus eadem tribuere salva Veritate possunt: qui vero accuratius vocem hanc observant, strictiusque eandem intelligunt, non sine ratione negant,

gant, imagines characteresque nominatrum populorum Hieroglyphica dici posse, prout Kircherus Oedip. Æg. Tom. III. Diatr. Prælus. I. Cap. II. III. IV. Characteres Sinensium, Brachmanum, Mexicanorum Hieroglyphica fuisse uberius negat, hæcque solis Ægyptijs vindicat, qui hanc de symbolis scientiam præ ceteris magno in precio semper habuerunt.

S. V.

Ægyptiorum igitur Hieroglyphicum docendi modum rimaturi, tres deprehendimus tradendi rationes apud ipsos fuisse adhibitas. Recenset easdem Clem. Alexandr. lib. V. Strom. p. 405. sqq. edit. Sylburg. Lugd. Bat. 1616. fol. *Ἰντὶκα οἱ παρ' Ἀιγυπτίους παιδευόμενοι, πρῶτον μὲν πάντων τῶν Ἀιγυπτίων γραμμῶν μέθωδον ἐπιμανθάνουσι, τὴν Ἐπιστολογραφικὴν καλεσμένην· δεύτερον δὲ τὴν Ἱερατικὴν, ἢ *ἱερογραφικὴν* οἱ ἱερογραμματεῖς· ὅσα τὴν δὲ καὶ τελευταίαν τὴν Ἱεροσταθμικὴν.* Hujus autem methodi Hieroglyphicæ duas species constituit ita pergens: *ἢς ἡμῖν ἐστὶ Διατῶν πρῶτων στοιχείων κυριολογικὴ, ἢ δὲ Στμβολικὴ.* Priorem speciem coincidere arbitror cum communi illo linguæ Ægyptiacæ genere, quod Coptum seu Pharaonicum Idioma nominat Kircherus Oedip. Ægypt. Tom. III. Diatr. Prælusor. II. ac neque hoc quidem mysteriis vacuum esse commemorat, cum figuræ literarum figuræ animalium aliarumque rerum fuerint e. g. Tertia litera ibidem divaricatis pedibus conspicuam præsentat conf. Pierii Hieroglyph. Lib. XLVII. p. 351. editionis supra nominatæ. Posterioris sive Symbolicæ methodi tres rursus constituuntur classes: τῆς δὲ συμβολικῆς ἢ μὲν *Κυριολογεῖται κατὰ μίμησιν, ἢ δὲ ὡς παρατροπικῶς γράφεται, ἢ δὲ ἀντικρὺς ἀλληγορεῖται κατὰ τὴν Νὰς Ἀινιγμοτῆς.* Primæ Classis exemplum suppeditat Circulum, qui Solem, & figuram Lunarem, quæ Lunam denotat κατὰ τὸ κυμολογούμενον εἶδος. Secundam Classem in transpositione, mutatione variaque transfiguratione consistere.

re.

re ait, atque exempli loco laudes regum fabulis descriptas nominat. Tertiæ Classis hoc est indicium: *Solem Scarabeo assimilabant, quoniam cum rotundam ex bubulo stercore effinxit figuram, eam vultu adverso convolvit. Ajunt autem hoc quoque animal sex quidem mensibus sub terra, alteram vero partem anni vitam degere super terram, & semen in globum immittere, & gignere, & non nasci feminam scarabeum.* conf. Pierii Hieroglyph. lib. VIII. Cap. XIV. & seqq. de Scarabæo agentibus. Et hæc quidem ultima Hieroglyphicorum classis, quam Clemens Alexandrinus recenset, demum continet Hieroglyphica, quæ sub voce hac proprie & accurate intelligi vult Kircherus loco supra citato.

§. VI.

Figurarum
Hieroglyph. fœn-
tes.

Materiale horum Hieroglyphicorum constituit ordinariæ imago seu figura quædam sculpta, sive quocunque modo picta. Res vero, quarum imagines adhiberi solent, ad quatuor potissimum classes referri possunt. I. est rerum ad animalis naturæ conditionem pertinentium, quorum homines & animalia referuntur e. g. Significantes eum, qui sacrum gestat pallium, *domus custodem* pingunt, quod ab eo sacrum custodiarur. Horus sive Apollo Hieroglyph. lib. I. n. 41. *Pro anima accipitrem* ponunt ibidem n. 7. II. Dictarum rerum *πρὸς μὲν Φῶσιν* continet, sic e. g. accipitrem una ala uno brachio humano pingunt. Kircheri Obelisc. Pamphil. lib. V. Cap. I. III. Arthrotica hominis & animalium membra exhibet v. g. *Quod fieri nequeat significantes*, pedes hominis abscissos in aqua obambulantes, aut hominem absque capite gradientem pingunt. Horus lib. I. n. 58. IV. Vegetabilium & instrumentalium artificiosa machinatione confectorum, e. g. Flores Anemones morbum hominis significant Hori Hierogl. lib. II. n. 8. *Hominem significantes*, qui alias sibi continenter devinciat & demereatur, lyram pingunt: hæc enim continenter suum retinet concentum. Ibid, n. 16. *Ochum Persarum Regem crudelissimum,*

num, qui Apin quoq; interfecit, & cum amicis epulando absumsit, Gladium vocaverunt, quod notavit Plutarch. in lib. de Iside & Osiride, Adhas enim classes omnia fere referri possunt Hieroglyphica non tantum quæ Pierius congescit (cui fidem exiguam nonnunquam habendam esse Causinus ducit de Eloq. Sacra & Hum. lib. IV. cap. VI.) sed ipse Kircherus easdem constituit in Obelisc. Pamphil. lib. V. Cap. I. Imo quod maximum est, Horus Niliacus sacris suis sculpturis, quas ipse quidem Ægyptio sermone prodidit, Philippus vero quidam linguæ Græcæ donavit, quæque magnæ sunt autoritatis, divisionem hanc comprobant; eadem enim ratione characteres ab ipso descripti distribui possunt; nisi quod tres prioribus addendæ videantur classes V. Cælestium e. g. Sidus pingentes factum intelligunt, quod ex siderum cursu ac dispensatione constituatur. Hor. lib. I. Hierogl. 13. VI. Elementorum Sic Puritatem notantes ignem & aquam pingunt, quod his elementis omnis lustratio fiat atque expiatio ibid. n. 43. VII. Numerorum e. g. Voluptatem demonstrare volentes, sedecim numerum pingunt; ab eo siquidem annorum numero incipiunt Viri consuetudine capi mulierum, ac procreandæ sobolis desiderio ibid. n. 32.

§. VII.

Itæ quidem imagines Genus constituunt Hieroglyphicum. In quibus
 rum, si definitione circumscribenda sint. Huc etiam pertinet, convenient
 quod sensum aliquem obscuriusculum nec statim obvium habent, cum Sym-
 id quod Hieroglyphicis cum aliis symbolis est commune. bolis aliis?
 Præterea in hoc quoque cum aliis conveniunt Hieroglyphica stricte sic dicta, quod similitudinem aliquam involvunt inter res illas, quarum figuræ exhibentur, & has, quæ per easdem obscuriuscule significantur, e. g. Rector navis ostendit potentiam mundi gubernatricem. vid. Jamblich. de Mysteriis Sect. VII. Cap. II. Basiliscus est Hieroglyphicum ævi; quemadmodum enim Ægyptii Basiliscum immortalem censent, reliqua animantia solo etiam afflatu necantem; ita in ævo multa pereunt, ipso durante, vid. Horus Hierogl. I. & Masenius in speculo Imag. Verit.

B

occult.

occult. lib. VI, c. VI. §. 2. Imo ipse Masenius l. c. edit. Colon. a. 1650. 8. p. 556. expresse fatetur, Hieroglyphica posse etiam symbolice usurpari prout aliquam involvunt similitudinem atque hinc in introductione imagines figuratas omnes speculi nomine inscribit, tum, quod Speculi instar, varias rerum creaturarum Imagines exhibeant: tum quod res ipsas creatas, in vicem modumque speculi, nobis contemplandas obiciant. Ut enim speculari vitrum non sui gratia, sed imaginum potius in ipso occurrentium causa intuemur: sic rerum corporearum mole figuræque exteriore neglecta, latentes sub hoc velut cortice Veritatis imagines indagamus, non illo quidem corporis oculo, quo specula scrutamur; verum Mentis longe perspicaciori, quo rerum creatarum abita, naturæque & affectiones pervadimus. Quæ autem sub generaliore conceptu comprehenduntur Hieroglyphica, nonnunquam ita sunt comparata, ut figuræ eorundem Metonymicam habeant cum rebus designatis convenientiam: huc refero Hieroglyphicum sceptri regiam potestatem designans, quod Masenius urget l. c. p. 56. Metonymia enim Signi pro Signato in Rhetoricis appellatur sceptrum ponere pro potestate regia. Ad hæc paucissimæ quædam deprehenduntur imagines, vocum similitudine fundatæ e. g. Pro anima ponitur accipiter, juxta nominis interpretationem. Siquidem Ægyptiis accipiter *Bajeto* dicitur, quod nomen si divideris, animam & cor significat. *BAI* enim anima est & *ETH* Cor, Cor autem ex Ægyptiorum sententia, animam ambitus est. Itaque ex consueta significatione nomen hoc, animam cordatam notat. Horus Hierogl. lib. 1. n. 7. Denique illud etiam ad Genus referre non dubito, quod quasi literarum vices obiciat; ut hæc ratione, cum alia verba significantur, res significantur, ex effato Jcti in Comment. in tit. de rerum & verb. signif. in sacris Ægyptiorum literis res significantur, quod observavit Autor Prolegomenon ad Collectanea Hieroglyphicorum Pierio addita ex edit. Francof. 1678. in 4. Unde Lucianus in Philop. *Ἱερογλοφικὰ γράμματα* dicit, sed in proprie

prie & in sensu vicario, quare in Hermotimo exactius loquens non *γερμματα* sed *σημεία* seu *χαρὰκτῆρας* esse, quibus utuntur *Aegyptii*, fatetur. conf. Bern. a Mallinckrot Disceptatio Philologica de Natura & usu literarum Cap. 26. Idem vero de Emblematicis quoque dici posse arbitror: quandoquidem & in illis res ipsæ earumque figuræ literarum vice funguntur.

s. VIII.

In eo autem præcipuam differentiam formamque Hieroglyphicorum consistere arbitror, quod sine omni lemmate ver-
 bisque adscriptis rem quandam designent, & nihil, nisi meram Hieroglyphicorum.
 aliquam figuram exhibeant, per hoc enim ab Emblemate, simbolo Pythagorico, aliisque Symbolicis & Ænigmaticis omnibus distinguntur. Eodem tendit definitio Hieroglyphicorum a Celeb. Talandro in der Einleitung zur Deutschen Oratoria edit. Jen. a. 1702. p. 99. Ein Hieroglyphicum ist ein Bild, so aus allerhand erschaffenen Dingen heraus gesucht wird / und dessen Deutung auf eine andere Sache zieler: Doch hat es gar kein Lemma oder Uberschrift bey sich. Definitio hæc præferenda est multis aliorum definitionibus, quæ rem magis obscure & intricare, quam explicare possunt: Plerique enim alii naturam Hieroglyphicorum in hoc collocant, quod non ex similitudine, sed ex instituto & arbitrio significant, vid. Caspinus de Symbolica Aegyptiorum sapientia Colon. 1654. in 8. p. 4. Masenius in speculo Imag. Verit. Occult. p. 556. Paschius de Variis Modis Moralia tradendi Cap. VI. s. XVII. p. 406. Contra hos urgeo primum Hieroglyphica nisi omnia, pleraque tamen, (minimum ea, quæ sub specialiori conceptu comprehenduntur) similitudinem quandam habere pro fundamento: quod ex Hieroglyphicis Hori facile patere poterit, & ipse Masenius loco ante citato diffiteri non potuit. In hoc tamen differentiam ponendam esse nequaquam sentio. Secundo Arbitrium & institutum humanum formam Hieroglyphicorum constituere nequit; namque Emblemata etiam ex instituto hu-
 mano

mano significant, e. g. Emblema diligentiae a Talandro l. 1. p. 345, proponitur Horologium cum Lemmate: Nulla hor sine linea. Unde quaesito est, quod praecise Horologium diligentiam nec aliam virtutem designet, nisi ex arbitrio humano? Exinde simul patet similitudinem rerum & institutum humanum non sibi opponenda esse, sed simul consistere posse. Videtur quidem sententia contraria fundamentum aliquod in eo habere, quod Hieroglyphica apud Aegyptios genus aliquod linguae constituent, linguae autem omnes ex instituto significare soleant, non ex similitudine. Verum rehero, Hieroglyphica, licet linguae aliquod genus, extraordinarium tamen & valde improprie dictum constituere. Adhaec e. g. V. repetendum esse videtur, apud Aegyptios praeter hoc Hieroglyphicum linguae sive sermonis genus alia reperiri sermonis genera multo planiora magisque perspicua, quibus arcana quaevis sub symbolis abscondita, sacrarum rerum capacibus declarari solebant. Manet igitur Hieroglyphicorum paulo strictius dictorum haec differentia, quod sine Lemmate significant, unde haec emergit Definitio: Hieroglyphica sunt imagines rerum creatarum sculptae sive pictae, res alias illis quodammodo similes sine Lemmate obscuriuscule indicantes.

§. IX.

Finis Hieroglyphicorum.

Restat, ut paucis dispiciamus cur atque quem in finem Hieroglyphica fuerint adhibita. Non quidem sollicitus nunc ero de primis Hieroglyphicorum rudimentis, quorum finem unicum fuisse, literarum loco cogitationes mentis indicare Franc. Junius de Pictura Veterum lib. II. cap. VIII. existimat, hisce verbis: *Litteris nondum inventis, confugiendum fuit ad notas quasdam & imagines animalium, plantarum atque aliarum rerum ab arte profectarum, quibus omnibus primorum hominum industria utebatur ad intimos animorum sensus exprimendos. Hoc tantum agam, ut causam retegam, ob quam Aegyptiis, etiam si alia habuerint, linguae genera multo magis perspicua, hoc tamen*

tamen obscurius velamentum adhibere placuerit. Videtur autem finis ipsorum primarius hic fuisse, ut dogmata sua arcana ad posteros modo aliquo certiori cum hac tamen cautione propagarent, ut ne omnes promiscue, sed illi tantum, qui digni essent hisce arcanis, eadem intelligerent. Scripturæ enim genus aliquod ad propaganda dogmata adhibendum fuit. Non incongrue coniecit Autor Collectaneorum, quæ Hieroglyphicis Pierii Francof. a. 1678. in 4. adjecta sunt in Præfat.: *Quemadmodum Hebrai arcana sua ipso promiscue, per literarum monumenta, sed per Cabalam ac vivam vocem suis posteris per manus tradere studuerunt: ita consuetudinem hanc imitantes finitimos populos, potissimum Ægyptios & Indos, longo tempore, præsertim iis in rebus, quæ ad medicamentorum facultates spectant, eandem observasse. Verum tamen cum eorum Sacerdotes postea deprehenderent, huic modum instituendi & docendi, ob vitam nostram brevem, caducam & fluxam, nimis fore incertum ac dubium, pauloque post plane forsitan meritorium, aliud faciliorem & stabiliorem, adhibendum duxerunt scriptionem scilicet. Sed oeculta scriptionis ratio assumenda fuit, quæ sine autorum indicatione vix ab aliis intelligeretur. Ratio hæc est: Ægyptii arbitrabantur sacra sua dogmata illis tantum communicanda esse, qui consecrati erant, hoc est Deo dedicati, quibus erant circumcise vitiorum cupiditates, per suam in Deum solum charitatem; uti observavit Clem. Alex. lib. V. Strom. edit. Sylburg. p. 405. ita pergens: Non mundo enim mundum tangere, Platoni quoque videbatur esse nefarium: nec ostenduntur mysteria iis, qui temere & impudenter accedunt, sed cum quibusdam expiationibus & prædicationibus. Musa enim non erat tum quæstiosa, neque operaria, neque dulcia vendebatur mellifona, a Terpsichore vulu argenteata molli carmina. Hanc igitur arcanorum suorum dogmatum ab impuris mentibus occultationem obscuro suo sermonis genere obtinere posse non sine causa sibi persuadebant. Interpretationem enim tanta cum sollicitudine abscondebant, ut vix Pythagoram, licet de meliori Sa-*

cerdotibus commendatum, atque variis iisque duris admodum præceptis exploratum ad sacrorum & studiorum communionem admitterent. vid. Porphyrius in Vita Pytag. & Stanlej. Hist. Philof. p. 664. edit. Lipf. His tamen omnibus ambitionem Sacerdotum accessisse arbitror, quæ haud obscuris indiciiis sese prodit: namque præterquam quod Angelis analogi haberi volebant, *Electio, consecratio, sacra symbemata sive symbola in sacerdote huc pertinebant, ut is esset apud homines venerabilior, tanquam Deorum Interpres, divinis characteribus munitus, quæ verba sunt Thomæ Gale in Not. ad Jamblich, de mysteriis Sect. IV. cap. II. p. 255.*

§. X.

Adminicu-
la Logicam
Hierogly-
phicam
consignan-
di,

Satis huc usque de Hieroglyphicis in genere dictum est, nunc applicationem eorundem ad docendam Logicam paucis indicabimus. Adminicula præsto sunt varia: Primo quidem ex Ægyptiorum aliorumque Hieroglyphicis seligi possunt, quæ ex ipsa eorundem intentione Logica gaudent significatione e. g. Pierius Hierogl. lib. XLIV. Cap. IV. *Soh, inquit, quia unus, est Veritatis Hieroglyphicum, duplicia enim & multiplicia sunt Veritatis contraria, Simplex igitur sit, necesse est, quod verum censeatur debeat. Hinc nudum effingitur ipsius Veritatis signum & quia omnia habet in conspicuo, ex eo præcipue Veritas est.* Idem Pierius lib. LIII. cap. 41. sicum Mercurio sacram Veritatis dulcedinem innuere observavit. Talpa ignorantix Symbolum esse traditur ab Autore Anonymo in Collectaneis Hieroglyphicorum supra citatis. lib. III. sub tit. Ignorantia. Secundo figuræ aliorum Hieroglyphicæ ad res plane diversas significandas sunt transferendæ e. g. Lingua subtusque pictus oculus (quam figuram Horus describit lib. I. Hierogl. 27.) paulo mutata interpretatione adhiberi possunt ad designanda præmeditata animi nostri iudicia, quæ Præcipitantix seu vitio, opponuntur. Tertio novæ e fontibus supra s. VI. indicatis excogitari possunt figuræ, atque ad indicanda Logices dogmata adhiberi. Ubi, si placet, ex parte aliqua Historiæ vel Geo-

Geographiæ præcipuæ desumi possunt figuræ adeoque una fidelia duo dealbari parietes Exemplum aliquo modo dedit B. Mol-
 lerus Professor quondam Altdorfius, Præceptor meus post fata
 etiam colendus in Collegio Metaphysicæ Moscoviticæ, quo
 Potentissimum Czarium Entis, sex affectiones Czarii Conjugem,
 tres filios, fratrem ac sororem sex affectionum Entis unitarum,
 atque Provincias Russicas reliquarum Entis affectionum disjun-
 ctarum symbola fecit, atque primum symbola hæc ex Historia
 breviter explicavit, deinde doctrinas sub iisdem adumbratas e
 Metaphysica declaravit, hoc modo disciplinam alias tædiosam
 jucundiorum reddens. Simili ratione Logica Moscovitica,
 Polonica, Germanica, Saxonica adornari posse videtur. Neque
 minus ex parte aliqua Matheos desumi possunt figuræ, doctri-
 nas Logicas more Hieroglyphico adumbrantes, quemadmo-
 dum virtutes sub schematibus Fortificatoriis in usum Gloriosissi-
 mi quondam Josephi Rom. Imp. depixit B. Erh Weigelius,
 Mathematicus Celeberrimus.

§. XI.

Porro opem quandam ferre poterit Winkelmanni Logica Winkel-
manni Lo-
 Memorativa sicut nomine Stanislai Mink von Weinsheun Ha manni Lo-
 a. 1659. in 12. edita (de qua vid. Vinc. Placcii Theatrum Pseu gica Memo-
 donym. ex ed. recent. Hamb. in fol. p. 444.) unde pauca que rativa.
 dam Hieroglyphica seligenda erunt; Siquidem pleræque figu-
 ræ ab Hieroglyphicis quam longissime recedunt, & variis de cau-
 sis mihi displicent. Plurimum enim figurarum fundamenta, at-
 que cum rebus, quas denotant, convenientia tam operose &
 obscure est extorta, ut memoria iisdem magis onerari, quam
 juvari videatur. e. g. inter Prædicabilia Genus per Columbam in-
 dicitur; quia Columba est inter Animalia multæ generationis,
 Generatio autem cura Genere, minimum ratione nominis con-
 venit. p. 31. Univoca pinguntur capite humano, e ejus ore
 una cum sono vocis Centaurus emittitur, quia animal dicitur
 de homine & de bruto p. 35. Nihil jam de eo dicam figuras
 sapius

sæpius ita informes esse, ut necesse sit, adscribere: *Hoc est bos, illud equus, hoc arbor*; quod de initiis artis Pictoriæ commemorat Ælianus Var. Hist. lib. X. c. 10. Neque illud nunc urgebo, imagines complures nominali tantum convenientia, eaque nonnunquam satis levi fundari e. g. terminum Categorematicum Catus, Syncategorematicum duo ceteri comedentes ex patina designant, ex hac tantum ratione, quoniam vocabulum Catus cum Categoremate ratione primæ syllabæ convenit. Hoc vero excusari quodammodo arbitror, quandoquidem Logicam Veterem imaginibus hisce depingendam sibi sumsit, quam circa voces magis sollicitam esse, quam rem ipsam Mentemque Humanam respicere notum est. Superfunt tamen figuræ nonnullæ, quas, cum e Metonymia aut Synecdoche desumptæ sint Hieroglyphicis generalius sic dictis annumerare licet e. g. Quatuor Proprii Modos per Medicum, duos pedes, Caput Canum, & faciem ridentem delineat; his enim exemplis, quibus vulgo doctrina de Proprio explicari solet, per Synecdochen ipsos ejus modos indicat p. 33. Denique pauca etiam deprehenduntur in Logica hac Memorativa imagines, Hieroglyphicis strictius sic dictis haud multum absimiles, quorum refero Tres Circulos, qui Ratiocinationem, duos Circulos, qui Enunciationem sive secundam Mentis operationem designant, numerum terminorum in operationibus nominatis respicientes. Huc quoque spectare videtur Imago Fallaciarum sive Sophismatum, quæ est Mulier oblongo naso, lingua extensa, quæ manu sinistra novaculam tenet, qua Samsonem fefellit Delila, Judic. cap. 16. vid. Log. Mem. p. 79, 80. ubi non injucunda deprehenditur ad hanc materiam excursio.

§. XII.

Fortassis huc quoque referendæ & Hieroglyphicis figuris Murneri Chartiludi-conspiciuntur sunt chartæ lutoriæ Logicæ Murneri, quas e Bernegnum Logicæ. gero atque Paschio in Disp. nuperade Logica Symbol. Cap. II. §. VI. commemoravi. Mihi quidem interea innotuit, Chartiludi

um

um hoc in publicam lucem emissum esse, & titulum integrum, (quem Excell. Dn. Prof. Hardt, olim ex Opusculo ipso descriptum, mihi benevole communicavit) ita se habere: Chartiludium Logicæ, seu Logica Poetica vel Memorativa R. P. Th. Murner, Argent. Ord. Minorum; Opus, quod centum amplius annos in tenebris latuit, erutum & in apertam seculi hujus curiosi lucem productum, opera, notis & conjecturis Joann. Balesdens in Senatu Gal. Ad. Parisiis apud Tullanum du Bray, via Jacobæa, subspiciis maturis cum privilegio Regis, MDCXXXIX. Opus autem ipsum videre mihi nondum licuit. Multo magis autem doleo, conspectum meum adhuc dum subterfugisse Io. Seob. Fabricii Professoris quondam Heidelbergensis Theatrum Hieroglyphicum a. 1665. editum: Cum enim B. Paschius de Variis Modis Moralia tradendi Cap. IV. §. XXVI. annotaverit, Virum aliis quoque Scriptis Historicis Celeberrimum XXV. annos huic operi impendisse, & Parte II. integra Ideam Hieroglyphicam Philosophiæ Rationalis exhibuisse, dubium non est, quin labor iste in concinnanda Logica Hieroglyphica multum sit profuturus.

Io. Seob. Fabricii Theatrum Hieroglyph.

§. XIII.

Tentabo Specimen aliquod Logicæ recentioris in Hieroglyphicis depictæ communicare, præcipuas Humani Intellectus Imbecillitates sub imaginibus descripturus.

Specimen Logicæ Hieroglyphicæ.

I G N O R A N T I A

per *Talpam* haud incongrue designari potest, quod Hieroglyph. Collectanea sæpius allegata p. 119. observant. Talpa enim visu omni destituta esse creditur, unde Proverbium, quod Suidas recenset, enarum: ἀσπίλας τοφλότις. Hinc Ignorantiæ, quæ mentis est cæcitas, Symbolum habetur. Eodem loco Tabula rasa haberi potest: quod enim Tabula sine imaginibus

C

nibus, id Intellectus sine Ideis, hoc est ignorans esse videtur.

OBSCURITATIS atque CONFUSIONIS

Hieroglyphicum primum illud Chaos Ovidii constituo, in quo caligo, & materia rerum plurimarum sed sine forma & distinctione erant. Simili enim ratione in obscuro atque confuso Capite materia multarum Idearum, sine distinctione & multa cum Caligine deprehenditur.

IDEAM FALSAM

Speculum praesentet, quod, cum senex illud intueatur, imaginem Juvenis exhibet.

DUBITATIO PERPETUA

per libram indicatur, cujus lingula firmiter alligata est clavo, ita ut in neutrum latus inclinare possit.

PRÆCIPITANTIA

pingi potest per linguam, cui subjacet oculus a lingua ferme totus obtectus. Oculus cognitionem claram, lingua judicium ceu sermonis mentes indicat. vid. Hor. Hierogl. 27. Lingua igitur oculum tegens judicium denotat ante claram rerum cognitionem de iisdem lata h. e. praecipitata.

PRÆJUDICIUM SENSUUM

innuat Baculus dimidia parte aquae immersus, qui sub aqua fractus esse videtur, unde praedictum aliquod sensuum oritur, quod per synecdochen ad Praedicta sensuum omnia figuranda transferri potest.

PRÆ

PRÆJUDICIA AUTORITATIS

adumbret Rex vinculis constrictus, atque ad pedes servi jacens.

PRÆJUDICIA AMBITIONIS

Narcissus significet amore suæ imaginis in aqua conspectæ captus, Hic enim Philautiæ symbolum est, Philautia autem in Præjudiciis Ambitionis, receptæ hypothescos, & spiritu contradictorio maxime se exerit.

PRÆJUDICIA AVARITIÆ

pro Hieroglyphico habeant Canem, qui Domino frustum panis monstranti ablanditur, eundemque sequitur.

§. XIV.

Utilitas hujus Logicam docendi Modi in eo potissimum Utilitates consistit, quod *jucundicrem reddi* hanc Philosophiæ partem, ad Logicæ Hi-
oque *Attentionem* in addiscenda eadem majorem excitat. In a-eroglyphi-
nimos enim instillatur jucundius, quod submoto quasi obscuritatis ve-
lo, repente lux emicare videatur. Huc spectant verba Augustini
Ep. XI. *Quemadmodum multa per vitrum aut succina pellucens*
jucundius: ita magis delectat Veritas per imagines et symbola collu-
gens. vid. Nic. Causinus de Eloquentia Sacra & Hum. Colon. A-
gripp. a. 1634. in 4. ed. lib. IV. Cap. VI. Utilitas hæc tanto ma-
joris est facienda, quanto frequentius fieri solet, ut Logica etiam
genuina, licet maxime sit necessaria, negligatur & sine debita
Attentione tractetur. Et quemadmodum teste Plurarcho lib. de
Iside & Osiride, qui Reges Egypti aliquando constituendi erant,
in ista erudiebantur sapientia, quæ mythologiarum involueris
pleraque occultabat, & obscura quadam verborum fasciã verita-
tem

tem complectebatur; ita hodiernum Principibus atq; Nobilibus juvenibus maxime necessaria Logices sanioris capita sub jucundiori Hieroglyphicorum facie instillari possunt. Quod si vero imagines e parte aliqua Historiæ vel Geographiæ vel Matheseos continua quadam serie desumantur, prout sub finem §. X. indicavi, *nova emerget utilitas*; hoc est, una opera pars quædam Historiæ maxime necessaria & utilissima Mentis Medicina docebuntur. *Tertio Memoria* adutorum quoq; hac ratione admodum afficitur, ita ut non imagines tantum, sed & res sub iisdem absconditæ firmitus eisdem inhæreant, quæ utilitas, etiam si Logica ad Judicium magis quam Memoriam referenda sit, omnino tamen negligenda non videtur, cum quam maxime necessarium sit, ut regulæ Logicæ in omnibus judiciis nostris observandæ (e.g. Præcipitantiæ evitandam, nec nisi de rebus clare & distincte cognitis iudicium ferendum esse) memoriæ nostræ perpetuo obverfentur, & huc quodammodo pertineat vulgatum illud dictærium:

Tantum scimus, quantum memoria tenemus.

ΕΠΙΜΕΤΡΑ.

- I. **P**ythagoras nomen Philosophi ex ambitione, non e modestia adhibuit.
- II. Omnis Theoria est Praxis, Ergo minus accurate Philosophia in Theoreticam & Practicam dividitur.
- III. Dubitatio est via inevitabilis ad Veritatem.
- IV. Non possunt non dari spacia vacua disseminata.
- V. Mens hominis est immaterialis.
- VI. Socialitas est Principium adæquatum Legum Naturalium.
- VII. *Que de Eginhardi amore & conjugio cum Imma Caroli M. filia passim recensentur, sunt fabulosa.*

* o *

00 A 6280

ULB Halle 3
002 828 09X





Sb.

WIP

reha







Q. D. B. V.
DE
LOGICA
HIEROGLYPHICA
BENEVOLO CONSENSU
AMPLISSIMÆ FACULTATIS
PHILOSOPHICÆ
IN
ACADEMIA LIPSIENSI
PUBLICÈ DISPUTABIT
M. JACOB, WILH. FEUERLINUS,
NORIMBERGA-FRANCUS,
HORIS POMERIDIANIS
CUM
RESPONDENTE
FRIDERICO GOTTLIEB KRANTZ,
SCEUDITZENSI-MISNICO,
PHIL. ET SS. THEOL. STUD.
D. IX. Novembr. A. MDCCXII.

LIPSIÆ,
LITERIS HÆREDUM BRANDENBURGERIANORUM.

